

utilissima vel imo necessaria est auctoritas ad multa jura determinanda, *c*; ad omnia jura naturalia determinanda et creanda, *n*.

**Objic.** 5º Omnis ordo juridicus est ab ordine morali alienus et independens; nam 1) lex juridica est independens ab opinionibus moralibus et conscientia subjectiva;

2) officio juridico satisfit per externas actiones, sive bona sive mala sit intentio interna;

3) officium juridicum vi extorqueri potest; *a*. moralitas actionum (pendens ab intentione) extorqueri non potest;

4) jus est objectivum; *a*. moralitas est subjectiva;

R. *n. assert.* — *ad prob. 1<sup>m</sup>* : *tr. ant.* sed *n. supp.* (de moralibus nihil objectivi et certi, solas opiniones subjectivas haberet).

*ad 2<sup>m</sup>* : *c. totum*; — *n. cons.* (adest officium juridicum ad actum externum praestandum; quacumque mente fiat, juri alterius satisfit; sed inde non sequitur nullam esse obligationem moralem, vel verum jus esse posse ad rem illicitam).

*ad 3<sup>m</sup>* : *c. maj.* — *d. min.* moralitas formalis, subjectiva, *c*; opus materiale quod sit bonum et debitum, *n*. — *n. cons.* (sequitur ordinem moralem et ordinem juridicum non esse omnino identicum: ordinem juridicum pertinere ad partem externam ordinis moralis; non sequitur eum nullo modo pertinere ad illum, sed esse prorsus separabilem, imo posse contrarium esse).

*ad 4<sup>m</sup>* : *d. maj.* i. e. jus non unice ab arbitrio subjecti pendet, sed habet normam objectivam, legem, *c*; i. e. jus non est facultas moralis in subjecto, *n*; — *d. min.* i. e. moralitas caret objectiva norma legis, *n*; inest in subjecto humano, *c*.

**Objic.** 6º Perniciosa est confusio juris et moralitatis; *e*. — R. *d. confusio* proprie dicta, distinctioni opposita, *c*; improprie dicta, reali separationi opposita, *n*.

## CAPUT II.

### DE OFFICIIS ERGA DEUM.

#### Propositio 69.

Religionis officia ceteris hominis officiis origine et dignitate praestant.

**Notiones** 1) *Religio* subjective sumpta est virtus qua homo inclinatur ad agnoscendas practice relationes suas erga Deum. — Objective sumpta igitur est complexus actuum quibus homo practice agnoscit ordinem inter se et Deum vigentem.

2) *Officia religionis* proinde sunt officia illa quibus erga Deum tanquam terminum proprium adstringimur. Haec oriuntur ex ipso ordine et relationibus quibus cum Deo connectimur, ac lege naturali firmantur et sanciuntur.

3) Sunt autem illae relationes agnoscendae: *a*) hominis ad causam primam

totius sui esse efficientem, *b*) ad ultimam suam causam finalem, seu ad suum summum bonum, *c*) hominis intelligentis ad summum verum, *d*) viatoris ad providum gubernatorem suaem viae.

**Stat. quaest.** Dari officia religionis vera, jam supra, prop. 59 ostensum est; negant positivistae et materialistae, rationalistae aliqui, et sectatores moralis independentis. Nos hie implicite quidem idem ostendimus iterum, sed explicite qualia sint illa officia addimus.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (origine).** Officia religionis oriuntur ex relationibus hominis ad Deum; *a*. hae sunt natura anteriores omni alia relatione hominis sive ad seipsum sive ad alios; *e*.

*Ad min.* Hae relationes essentialiter includuntur in notione ontologica hominis, ut entis contingentis et participati, intelligentis et liberi; *a*. haec notio ontologica hominis est prior omni alia relatione hominis (nam relatio nequit esse nec concepi, nisi praecognitis terminis relationis, ac proin nisi praecognita terminorum notione objectiva seu ontologica); *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (dignitate).** Officia hominis eo praestantiora sunt 1) quo terminus eorum est dignior in se, 2) quo intius connectitur cum hominis fine ultimo, 3) quo magis necessaria et universalis est illa relatio ex qua exsurgunt officia; — *a*. hic 1) terminus est dignissimus, 2) est ipse identice finis ultimus, 3) relatio est omnium maxime necessaria (essentialis), et universalis (omnium entium possibilium); *e*.

**Objic.** 1º Deus non indiget obsequiis creaturae; *e*. — R. *c. ant*; — *n. cons.* et *supp.* (causam vel mensuram officiorum esse Dei indigentiam).

**Objic.** 2º Relatio hominis ad Deum est relatio effectus ad causam; *a*. hac prior est relatio identitatis cum seipso; *e*. — R. *d. maj.* ad causam qualemcumque, *n*; ad causam primam totius esse, *c*. — *c. d. min.* (prius est esse, quam esse idem secum; sed non prius est esse, quam accipere totum suum esse).

#### Propositio 70.

Tenetur homo intellectum suum perficere per cognitionem Dei et earum veritatum quae ad finem consequendum necessariae sunt,

**Prob.** Homo habet officia erga Deum servanda per agnitionem practicam suarum relationum ad eum; *a*. 1) una relatio agnoscenda, non minus quam aliae, est relatio suae facultatis naturalis, intellectus; — 2) nisi homo prius cognoscat terminum Deum, et media, nullam aliam poterit agnoscere; *e*.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo tenetur homo agnoscere religionem naturalem.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo religio naturalis vera est omnibus sufficienter cognoscibilis, nam impossibile Deus justus, sapiens, non juberet.

**Objic.** 1º Lex naturalis non obligat nisi voluntatem; *a*. veritates illae spectant ad intellectum; *e*. — R. *tr. maj.* — *d. min.* formaliter seu elicitive, *c*; imperative, *n*. (jubetur voluntas imperare intellectui studium et cognitionem).

**Objic.** 2º Lex naturalis omnes obligat etiam rudiores; *a.* hae veritates circa objectum altissimum sunt investigatu arduae; *e.* — R. *c. maj.* — *d. min.* quoad cognitionem aliquam vulgarem sufficientem, *n.*; scientificam, *c.*

**Objic.** 3º Diutissime plurimi unum Deum etc. ignorarunt. — R. *d. ant.* vincibiliter, *c.* invincibiliter, *n.*

**Schol.** *Blasphemia* dicitur error circa religionem, quo vel Deo attribuerentur quae ei non convenient, vel negarentur quae ei convenient.

#### Propositio 71.

**Si quam religionem voluerit Deus revelare, tenetur homo eam amplecti quando ei sufficienter innotuerit.**

**Stat. quaest.** 1) Probatum fuit in logica : *a.* existere veritates aliquas suprorationales, mysteria, *b.* possibilem esse earum revelationem a Deo factam hominibus, *c.* possibilem esse certitudinem hujus revelationis, *d.* necessariam esse revelationem, absolute pro mysteriis, moraliter pro religione etiam naturali.

2) Certum non est ex solo ratiocinio, revelationem mysteriorum et religionis alicujus supernaturalis fuisse factam; est enim hoc factum historicum de quo per experientiam propriam (si sit revelatio immediata) vel per testimonium (si mediata) constare debeat.

3) In hypothesi igitur quod existat aliquod tale factum, propositionem enunciamus.

**Prob. 1º** Homo debet ad Deum tendere per ea media quae Deus vult; *a.* revelata religio erit hoc medium; *e.*

*Ad maj.* Deus, ut Dominus et ultimus finis, potest quaevis homini possilia media connectere cum finis assecutione; *a.* homo debet tendere ad finem per media cum eo connexa; *e.*

**Prob. 2º** Ut officium Deo revelanti in omnibus credendi posset negari, dicendum esset : 1) aut Deum non esse omniscium et infallibilem, 2) aut non absolute veracem, 3) aut intellectum humanum non esse Deo in omnibus subiectum, 4) aut revelationem et fidem esse inutilem, 5) aut fidem a Deo non praecipi; — *a.* nihil horum dici potest; *e.* (cfr. logic. et theolog. natur.).

**Schol.** Fieri potest ut Deus aliquam religionem revelet, quae et veritates dogmaticas et ritus externos contineat; tunc omnis homo, qui illam revelationem cognoverit, tenetur stricto officio intellectu assentiri illis dogmaticis veritatibus, nequit enim negari veracitas Dei; sed illi soli tenentur ritus externos observare, ad quos dirigitur revelatio, alii enim quibus nihil praecipitur obedire non tenentur. — Talis fuit olim revelatio Mosaica ad solos Hebraeos directa; sed Christiana catholica revelatio ad omnes homines dirigitur.

#### Propositio 72.

**Tenetur homo voluntatem suam perficere per actus adorationis, fiduciae, amoris, gratiarum actionis erga Deum.**

**Prob. 1ª pars (adorationis).** Adoratio consistit in agnitione supremae majestatis et dignitatis Dei, ac omnimoda dependentiae nostrae ab eo, et in ratificatione et approbatione hujus subordinationis nostrae ab eo; *a.* talis actus est voluntatis perfectio et est officium hominis; *e.*

*Ad min.* 1) Talis actus praesupponit quidem cognitionem in intellectu, sed ipse est in voluntate, 2) perficit voluntatem actus approbandi et ratum habendi eum ordinem qui optimus et justissimus est, 3) officium hominis est practice agnoscere et ratum habere quod vi essentialiae suea sibi justissime convenit; *e.*

**Prob. 2ª pars (fiduciae).** Fiducia in eo sita est quod homo cum quadam animi securitate speret Deum ipsi praestitum esse media, quae ad finem ultimum obtinendum sint necessaria vel etiam opportuna; *a.* talis actus perficit voluntatem humanam (eam arctius Deo conjungens), et est officium hominis (sapientem providentiam et bonitatem Dei agnoscens, approbaus, eaque nitens); *e.*

**Prob. 3ª pars (amoris).** Ratio clare percipit intrinsece malum esse, si nunquam humana voluntas amoris actum elicit erga illum qui 1) est summus et universalis benefactor, 2) est summum bonum in seipso, et summe amabilis ad extra, 3) ipsa beatitudo objectiva hominis; — *a.* illas omnes bonitates ad hominem habet Deus; *e.*

**Prob. 4ª pars (gratiarum actionis).** Rationi evidens est officium gratiarum actiones elicendi, ac gratum animum exhibendi benefactori intelligenti, praesenti et attento; *a.* Deus est homini summus et adaequate universalis benefactor, et est semper ubique praesens, attentus; *e.*

**Schol. 1º Qualis requiratur amor Dei.** **R. 1º** Amor Dei ut sit ordinatus, recte agnoscens veras relationes essentiales, ac proinde officio hominis satisficiat, *a.* non necessario debet esse *affective summus*, i. e. intensitate affectionis subjectivae, nam Deus invisibilis spiritualis non tanta efficacia totam substantiam humanam, etiam sensitivam, afficit, — *b.* sed necessario debet esse *appreciative summus*, i. e. directione practica operationis, aestimatione bonitatis objectivae, Deum ejusque bonitatem et legem omni aliis bono anteponens, eique ita adhaerens ut omnia prorsus bona potius quam ejus amorem amittere voluntas firmiter statuat; nam homo naturaliter obligatur quodque bonum pro valore ejus amare.

**R. 2º** Amor Dei, dummodo sit verus amor appreciative summus, ordinatus et rectus erit, ac proinde bonus et officio satisfaciens, sive *a.* praedominet ut motivum amandi (objectum formale) timor amitti tantum bonum et finem ultimum, et sit *amor servilis*, sive *b.* praedominet spes et concupiscentia possidendi tantum bonum, et sit *amor mercenarius seu concupiscentiae*, sive

c) gratus animus erga tantum benefactorem, et sit *amor filialis seu gratitudinis*, sive d) complacentia tantae perfectioni et amabilitati intrinsecae, et sit *amor amicitiae seu benevolentiae seu complacentiae*.

**N. B.** 1) In his evidenter gradatio est a minus ad magis perfectum amorem.  
2) Dicimus : *sive praedominet...*, nam α) plerumque non unicum sed plura horum motivorum nos movent, licet inaequilater; β) si quis exclusive solo timore poenarum moveretur ad fidelitatem, is non amore recto amaret, sed potius paratus ad peccandum esset nisi Deus minaretur, velletque posse Deum effugere et secure peccare : iste amor dicitur (si tamen amor dici potest) *serviliter servilis*.

**Schol.** 2<sup>m</sup> *Utrum homo teneatur officio etiam orandi Deum.* — **R.** Ex revelatione scimus adesse hoc officium; sed ex sola ratione naturali non satis patet, nam 1) nulla est naturalis relatio hominis ad Deum, quae non jam aliis actibus practice agnoscat, v. c. relatio viatoris ad providum gubernatorem, per fiduciam...; — 2) dabit quidem Deus optimus petenti dona abundantiora, sed nulla appetet naturalis necessitas petendi et obtinendi media necessaria ad finem ultimum, nam ratio non ostendit statutum a Deo fuisse talia media nonnisi potentibus fore concedenda; — 3) nec praeceptum positivum Dei, ut homo oret ac petat aliqua, sola ratio ostendere potest.

**N. B.** Haec de stricto officio dicta sint, nam valde pronum et rationabile appareat ut quem amamus, cui confidimus, quem nos amantem novimus, hunc in difficilibus oremus, media abundantiora rogemus; quinimo si quando per accidens in difficillimis apparebit oratio ut medium necessarium ad superanda obstacula, poterit esse per accidens verum officium.

### Propositio 73.

**Tenetur homo etiam externo cultu Deum honorare.**

**Notiones.** 1) *Cultus* generatim est complexus actuum quibus homo suas erga Deum relationes practice agnoscit. Cultus dividitur :

<div style="display: inline-block; width: 10px; height: 10px; border-left: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; margin-right: 5px;"></div> internus — — — actibus constans qui toti intra animam absolvuntur, sive in intellectu (imperante voluntate), sive in ipsa voluntate.
<div style="display: inline-block; width: 10px; height: 10px; border-left: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; margin-right: 5px;"></div> externus — — — sensibilis expressio cultus interni.
<div style="display: inline-block; width: 10px; height: 10px; border-left: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; margin-right: 5px;"></div> naturalis — — — actibus constans qui sua natura sint interioris affectus signa.
<div style="display: inline-block; width: 10px; height: 10px; border-left: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; margin-right: 5px;"></div> arbitrarius — — ritibus constans ad talem significationem libera voluntate determinatis.
<div style="display: inline-block; width: 10px; height: 10px; border-left: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; margin-right: 5px;"></div> revelatus — — si a Dei libera voluntate manifestatus ac determinatus.
<div style="display: inline-block; width: 10px; height: 10px; border-left: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; margin-right: 5px;"></div> humanus — — si a jure humano positivo determinatus.

2) Cultum externum saepe passim definiunt : cultus interni sensibilem expressionem et manifestationem; sed hoc ultimum abundat, nam supponit

aut hominem esse necessario in societate viventem, aut homini solitarie viventi jam non fore officium cultus externi. Ab his ergo melius abstrahamus.

**Stat. quaest.** 1) De cultu interno jam dictum est in praecedentibus propositionibus; quaeritur nunc de externo ad quem pertinebunt, v. c. laus Dei vocalis, oratio vocalis, gestus corporis internam animi reverentiam, adorationem, fiduciam, gratiarum actionem exprimentes; et quoad cultum arbitrium, etiam oblationes et sacrificia, cantus et coetus, imagines...

2) Praeter eos qui negant ullum omnino officium erga Deum existere, alii dicunt nos quidem ad cultum internum Dei obligari, non tamen a lege naturali ullum imponi officium cultus externi.

**Prob.** Lex naturalis praescribit ut homo non solum abstineat ab omni actu qui relationibus suis erga Deum aduersetur, sed et positive eliciat actus connaturales, his relationibus conformes; a. actus tales connaturales sunt non solum actus cultus interni sed etiam externi; e.

**Ad maj.** 1) Actus connaturales sunt quales natura humana sibi plane permissa sponte elicet, a quibus nonnisi invita abstinebit; a. natura humana, propter suam unitatem substantialem ita comparata est ut, si per vim ab aliquo actu tali abstineat, etiam ab aliis actibus connexis mox fere necessario abstineat; e.

2) Voluntas Dei aeterna est ut ens rationale quodlibet se ordini conformet eo modo qui sue naturae specificae convenit; nam ad hoc ei data est haec specifica natura; e.

**Ad min.** 1) Natura humana est unum substantiale completum compositum ex animalitate et rationalitate; a. talis natura sibi plane sine ulla vi permissa, sponte in animalitate exprimet sensus et affectiones in rationalitate existentes; e.

2) Natura humana est ad vitam socialem naturaliter inclinata, in eaque necessario, saltem aliquamdiu in familia, vivit; a. talis natura nisi aliunde vim patiatur vel sibi inferat ipsi, eos actus quos interne elicit, affectus quos interne experitur, sponte externe coram aliis exprimit; e.

**Coroll.** Ergo absurdus est indifferentismus religiosus, sive is intelligatur doctrina qua indifferenter bonum dicatur, habere vel non habere cultum erga Deum; sive doctrina aestimans varios cultus : revelatum et humanum quemlibet esse aequaliter bonos et sufficientes; sive practica vita ducta perinde ac si nullus cultus esset necessarius; nam Deo secundum veritatem serviendum est, haec autem una est, nec potest falsitas Deo placere.

**Schol.** *Impius* est qui debitum cultum et obsequium detrectat. — *Superstitiosus* est qui vel cultum Deo debitum alii exhibet (idololatres), vel Deo vero cultum illicitum exhibet.

**Objic.** 1<sup>o</sup> Deus externo cultu non indiget. — **R. a)** *retorq.* sed neque interno. — **R. b)** *n. supp.* (cultum exhiberi ob necessitatem Dei, potius quam ob ordinem hominis ad eum).

**Objic.** 2º Deus scrutator cordium sensus internos perspicit; *e.* non opus ut exprimantur externe. — R. *n. supp.* (cultum externum requiri ob necessitatem Dei, potius quam hominis).

**Objic.** 3º Ex argumento sequeretur ad omnem actum internum cultus requiri correspondentem actum externum; *e.* nimis probat, nihil probat. — R. *d. ant.* si praeceptum affirmativum obligaret pro semper, *c;* si ob honestam rationem patitur exceptionem, *n.*

**Objic.** 4º Actus externi nullam per se habent moralitatem; *e.* sufficit si actus interni correspondentes exhibentur Deo. — R. *a) tr. ant.* — *n. cons.* — R. *b) d. ant.* externi abstracte considerati, *c;* concrete prout exprimunt sensum internum, *n.*

### CAPUT III.

#### DE HOMINIS OFFICIIS ERGA SEIPSUM.

##### Propositio 74.

Tenetur homo perpetuum in se veritatis amorem fovere, proprium errorem nunquam intendere.

**Stat. quaest.** 1) Existere hominis officia aliqua erga seipsum, jam supra ostensum est, quum habeat personae dignitatem et naturam perfectibilem, quam excellentiam revereri, perfectionem prosequi secundum rectum ordinem teneatur.

2) Ostensum quoque est jam, illa officia non esse juridica, sed penes Deum solum esse, eorum observationem urgere, neglectum vindicare.

3) Restat ergo ut quae sint illa officia dicamus. — Hic primo de officiis quoad intellectum.

**Prob. 1ª pars** (*amorem veritatis fovere*). Plurima sunt hominis officia, sine quorum observatione homo finem suum attingere non potest; nec illa observare potest nisi veritates multas passim cum certitudine cognoscat; *a.* has cognoscere non potest nisi perpetuo veritatis amore sincero ductus; *e.*

**Prob. min.** Tales veritates multis undique fallaciis obnubilantur; *a.* has superare nonnisi prudens, constans, veritatis amor et inquisitio potest; *e.* (cfr. passim per totam logicam).

**Prob. 2ª pars** (*errorem non intendere*). Ordini morali contrarium est illud intendere, quod nullo modo potest per se ad finem ultimum subordinari; *a.* talis est error proprius; *e.*

**Prob. min.** Errorum per se Deus nullo modo nec causare nec intendere potest; *a.* quod Deus ita horret, hoc non potest esse medium ad gloriam Deo procurandam, ad Deo placendum; *e.*

**Coroll. 1º** Ergo materia circa quam homo quisque debet veritatem inquirere, errorum fugere, sunt maxime illa omnia quae ad vitam practice secundum moralitatem regendam; ad quod generatim sufficit ea scientia quae

#### DE HOMINIS OFFICIIS ERGA SEIPSUM.

facili industria comparari potest de moralibus rebus; ad altiorem vero et difficiliorem scientiam illi soli tenentur qui ratione status sui munere fungi aliter nequeunt.

**Coroll. 2º** Ergo lege naturali illicita est arbitraria *libertas opinandi*, i. e. cogitandi et verum aestimandi quodlibuerit, sive haec libertas extendi velit a) ad omnia omnino (scepticismus universalis), — b) sive ad omnia etiam quae Deus revelaverit, quae ratione sola non attingantur (rationalismus), — c) sive ad ea omnia quae non ab infallibili magisterio imponuntur auctoritative tanquam dogmata revelata (liberalismus catholicus, seu semiliberalismus).

**Coroll. 3º** Ergo lege naturali illicita est etiam arbitraria *libertas omnia quaecumque audiendi vel legendi*, periculum proximum nempe quodlibet opinandi.

##### Propositio 75.

Tenetur homo voluntatem ita ad finem ultimum afficere, ut huic cetera omnia bona subordinet, ac ipse semper legitimis motivis in actibus suis moveatur.

**Prob.** Impossibile est ut homo rationalis vivat quin plurimos faciat actus humanos, i. e. libere volitos; in his autem debet homo officia moralia plura observare; *a.* impossibile est ut illa officia servet, nisi voluntatem ita ordinet sicut docet nostra propositio; *e.*

**Coroll. 1º** Ergo falsum est, quod aliquando audimus, nihil nisi *solum Deum esse* amandum, sunt enim omnes creaturae amanda, sed pro sua quae dignitate et subordinatione ad Deum ut ad finem omnium.

**Coroll. 2º** Ergo etiam lege naturali tenemur nostram voluntatem aliquatenus indifferentem facere circa res finitas, ita scilicet ut non unam rem potius quam aliam possidere, nec eam potius possidere quam non possidere cupiamus, propter solum nostrum commodum vel delectationem, sed tantum prout melius tanquam medium ad finem, ad gloriam Dei, nobis futura sit utilis; parati omnia potius rejicere quam peccatum admittere.

##### Propositio 76.

Tenetur homo facultates suas inferiores: vegetativas, sensitivas, appetitivas, locomotivas, facultatibus superioribus: rationi et voluntati, subordinare.

**Prob.** Rectus ordo et lex naturalis postulat ut homo suos actus humanos secundum moralitatem exerceat, et proinde ut media ad finem subordinentur; *a.* facultates inferiores sunt vere media naturalia ad facultates superiores homini data; *e.*

**Ad min.** 1) Facultates *vegetativa* ideo sunt datae ut organa aliarum facultatum formentur, augeantur, conserventur, parentur.